

positis nullum inconueniens sequitur ex supra dictis.

Sed contra est primò: Quia falsum est, quòd homo indigeat speciali gratia per Christum ad elicendum quodlibet opus naturale moraliter bonum. Et licet debeat concedi, quòd in prædestinato est effectus remotus meritorum Christi, & preparatus à providentia prædestinativa; proximè tamen provenit à providentia generali, à qua, sicut descendit substantia prædestinati, & vis eius proxima ad operandum bonè moraliter in ordine naturali, ita ab ea proximè provenit motio efficax stabilita à Vazquio, & à Thomistis; sed nullus dicit, quòd datur lex infallibilis de collatione auxilij supernaturalis, quia prædicta, & plura alia preparantur à providentia prædestinativa, & ex meritis Christi: ergo nec quia preparantur remotè opera naturalia moraliter bona.

Secundò, & vrgentius. Nam opera hæc ex se vel habent aliquam proportionem ad movendum Deum, & merita Christi pro statuenda prædicta lege infallibilis; vel non habent, sed ex se dispartite se habent? Si dicatur secundum: ergo prædictum pactum, & lex impertinens est, & Deo, & meritis Christi indigna. Si dicatur primum: ergo ab ipsis secundum se debet desumi initium iustificationis, & salutis, contra id quòd clamant Apostol. Concilia, & PP.

Tertiò. Nam si daretur huiusmodi lex infallibilis inter opera naturalia moraliter bona, & primum auxilium supernaturale, potiori titulo daretur inter meritum iusti, & iustificationem peccatoris, tum quia habet ex se proportionem cum ea, tum quia fundatur in amicitia Dei, quæ facit bona ipsius communia; atqui non datur huiusmodi lex inter meritum iusti, & iustificationem peccatoris: & sic videmus, quòd, suppositis orationibus & impetrationibus iusti, vnus peccator consequitur salutem, & alius non: ergo nec datur huiusmodi lex infallibilis inter opera naturalia moraliter bona ipsius peccatoris, & primum auxilium supernaturale sibi conferendum. ¶ *Quartò, & vltimò.* Nam non datur prædicta lex infallibilis inter quodcumque opus naturale bonum moraliter, estò ad id requiratur gratia specialis; aliàs quilibet peccator faciens cleemosynam in casu gravis tentationis ex motivo pietatis illud consequeretur: nec inter aliqua opera determinata, quia non est maior ratio de vno, ac de alio, demptis dilectione illa naturali Dei, & penitentia perfecta naturali, quæ supponunt gratiam habituales: nec inter omnia collectivè, quia ad hæc requiritur gratia habituales, & sunt impossibilia propter eius infinitatem: ergo falsum est, quòd datur huiusmodi lex inter opera naturalia, & auxilium aliquod supernaturale.

Menet ergo, quòd solum est admittenda talis lex de faciente, quòd est in se, viribus supernaturalibus. Opera enim supernaturalia ex se habent proportionem intrinsecam cum iustificatione; cum sint in eodem ordine: Et quamvis prædicta opera non sint meritoria proprie de congruo relate ad iustificationem, quia non fundantur in amicitia Dei proveniente à gratia, & charitate, & homo ratione peccati positive sit indignus divinæ gratiæ; datur tamen aliqua congruentia, & decencia orta ex prædicta proportionem: & cum Deus præbeat peccatori prima auxilia supernaturalia intuitu iustificationis, ad quam ex se disponant saltem remotè, & sit summè bonus, liberalis, & misericors, decet sanè hæc eius attributa, & finem præintentionem ab ipso, ne talis finis frustraretur, quòd Deus statuat legem de illam conferendo omnibus facientibus, quòd est in se, ex prædictis auxilijs. Ex quo nullum sequitur inconueniens ex ijs, quæ obicimus Pelagio, Malsilienibus, & recentioribus Societatis, vt perspicenti constabit.

§. V.

Argumenta adversus tertiam, & quartam assertionem.

131 **A**dversus tertiam assertionem arguitur primò ex D. Thom. qui pluribus in locis concedit operibus bonis naturalibus vim merendi de congruo auxilia supernaturalia: præcipuè in 2. dist. 27. quest. 1. art. 2. ad 4. & art. 6. incorp. & ad 4. Item ad Hebraeos 6. lect. 3. & infra quest. 114. art. 3. & 6. ¶ Confirmatur. Nam meritum de congruo reperitur in eo actu, quo posito, congruum est, vt Deus vtatur sua liberalitate, & misericordia infundendo gratiam; sed hæc congruentia reperitur, quoties peccator per vires nature facit, saltem cum auxilio Dei moventis, totum quòd est in se, detestando peccatum, & se convertendo ad Deum: ergo in actibus naturalibus potest esse aliquod meritum de congruo respectu primæ gratiæ auxiliantis.

Ad hoc argument. respondent NN. Salm. cum alijs tract. 5. disp. 10. num. 27. quòd D. Thom. in præf. retractavit sententiam. Sed quia opus non est hac solutione vti: Aliter responderetur, quòd scilicet D. Thom. solum concedit operibus naturalibus meritum improprè tale adhuc intra lineam meriti de congruo, vt satis colligitur ex dictis num. 127. ¶ Adde, hoc esse discrimen inter meritum de condigno, & meritum de congruo, vt optimè notantur NN. Salm. tract. 16. disp. 2. num. 3. quòd merito de condigno infallibiliter conferatur à Deo præmium, nisi per peccatum mortificetur; secus verò merito de congruo. Unde argumentum desumptum

tum ex merito de congruo parum, aut nihil conducit ad præcipuum intentum adversario-rum.

Ad confirmationem responderetur, permit-tendo maiorem; & negando minorem. Quia si sermo sit de congruentia proprie dicta, hæc tantum fundatur in amicitia Dei. Et propterea D. Thom. in 4. dist. 15. quest. 1. art. 3. quest. 4. licet operibus extra charitatem factis concedat meritum congrui, concludit tamen his verbis: *Quia tamen hoc meritum non proprie meritum dicitur; ideo magis concedendum est, quòd huiusmodi opera non sunt alicuius meritoria &c.* In quibus verbis, si benè perpendantur, negat adhuc actibus supernaturalibus extra charitatem factis meritum de congruo proprie dictum. Adeest insuper in operibus naturalibus moraliter bonis specialis ratio, cur non sint meritoria de congruo alicuius gratiæ supernaturalis; nempe quia desuntur omni proportione intrinseca. Neque assignabile est, quando homo viribus nature faciat totum, quòd est in se, itaut deceat divinam bonitatem, misericordiam, & liberalitatem conferre auxilium supernaturale. Nam alligare hoc cuiuslibet operi bono moraliter; videtur esse contra experientiam. Vivere autem secundum rationem per longum tempus, vitando peccata, nullus potest sine gratia speciali; sicut nec detestare peccata præterita per contritionem naturalem perfectam, & convertere se ad Deum per dilectionem naturalem super omnia; ideoque sunt extra statum questionis.

132 Arguitur secundò contra eandem assertionem: Nam homo iustus potest mereri de congruo vnionem hypostaticam; ergo & lapsus per opera naturalia potest de congruo mereri auxilium gratiæ. Antecedens supponitur ex dicendis in 3. part. Conseq. verò probatur: nam minor proportio datur inter merita puri hominis iusti, & vnionem hypostaticam, sicut & maior distantia, quam inter opera naturalia, & auxilia supernaturalia: ergo si purus homo iustus potest mereri de congruo vnionem hypostaticam, etiam poterit lapsus eodem modo mereri auxilia gratiæ per opera naturalia. Adde: Nam D. August. in lib. de prædestin. Sancti. cap. 15. ait: *Nullum est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse mediator. Quisquis vult eam benè intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat & seipsum:* Ergo vel incarnatio facta fuit nullis præcedentibus meritis de congruo: vel primus effectus prædestinationis nostræ elicitus, qualis est prima gratia supernaturalis, est ex meritis de congruo. ¶ Confirmatur. Nam homo per vires naturales potest mereri de congruo orationes pro se alicuius Sancti, si ei præstat aliqua beneficia; sed homo iustus potest mereri de congruo alteri primam gratiam: ergo homo viribus naturali-

Tom. III. Paul. Theol. Salp.

bus potest sibi mereri primam gratiam auxiliantem.

Ad argument. responderetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Cuius probatio non vincit; propter notam disparitatem: Nam, quidquid sit de maiori distantia inter merita iusti, & vnionem hypostaticam, maiorem proportionem habent inter se in ratione meriti, & præmij, quam gratia supernaturalis, & opera naturalia: Siquidem merita iusti fundantur in amicitia Dei, procedunt elicitive ex eadem providentia supernaturali, & prædestinativa, tendunt in eundem finem supernaturalem, ac vnio hypostatica, & non potest dici, quòd iustus ex seipso se discernit: quibus conditionibus carent opera naturalia relate ad primam gratiam supernaturalem. ¶ Ad additamentum responderetur, Augustinum in eo loco tantum conferre incarnationem cum meritis proprijs, vt in eodem loco potest videri. Unde potius eius testimonium potest retorqueri in argumentum.

Ad confirmationem responderetur, quòd oratio iusti fundenda pro peccatore illi beneficiente, vel esset naturalis; vel supernaturalis? Si dicatur primum, non inficiabimur, quòd his beneficijs meretur peccator saltem de congruo orationem iusti: sed inde nihil sequitur contra nos, vt consideranti constabit. Si verò dicatur secundum, idem esset mereri de congruo orationem iusti, ac auxilium ad eam requisitum: vnde si negamus, hominem per opera naturalia moraliter bona posse proprie mereri de congruo, etiam tenerem negare huiusmodi meritum relate ad orationem iusti. Datur tamen aliqua congruitas, seu proportio ex parte operantium, licet non ex parte operum: nam sicut peccator suis beneficijs facit totum, quòd potest, in obsequium iusti; ita hic debet facere, quòd potest, secundum excellentiam sui status, aut gratiæ. Sicut similis proportio datur inter Deum, & hominem operantem totum, quòd potest in ordine naturali; vt ex D. Thom. notavimus num. 127. in fin.

133 Arguitur tertio (procedit contra quartam assertionem) Nam D. August. lib. 19. de Civit. Dei cap. 1. ait, quòd Deus tribuit hominibus res temporales eo pacto aquisitissimo, vt quicumque mortalis talibus bonis rectè usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, atque convenientem gloriam, & honorem in vita eterna. Sentit ergo, quòd datur pactum tribuendi auxilia gratiæ rectè vtenti rebus temporalibus, & facultate liberi arbitrij.

Et confirmatur ex D. Thom. quest. 142. de Verit. art. 11. ad 1. vbi ait: *Siquis in sybeis enutritus ducitum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd ei Deus vel per inter-*

Et 2. nam

nam inspirationem revelaret ea, qua necessaria sunt ad credendum, vel aliquid fidei predicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium; sed hæc certitudo nequit fundari nisi in pacto Dei: ergo adest lex infallibilis dandi gratiam facienti quod est in se virtus naturæ. Idem generaliter docet de omnibus in solutione ad 2. Et supra quæst. 89. art. 6. loquens de puero perveniente ad usum rationis, inquit: *Quod si tunc se ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem peccati.*

Ad argument. respondetur, D. August. loqui ibi de recto usu rerum temporalium ex virtute non solum naturæ, sed etiam gratiæ: si quidem debet intelligi de recto usu per longum tempus, cum incredibile sit, quod datur huiusmodi pactum cum eo, qui semel, aut iterum recte vitur rebus temporalibus. Homo autem nequit recte illis uti per longum tempus sine auxilio gratiæ, sicut nec adimplere legem naturalem, vt dub. 4. probatum est. Unde relictus usus, de quo loquitur August. iam supponit primum auxilium, & hominem operantem cum eo.

Per quod respondetur ad confirmationem, & primum testimonium D. Thom. Nam in eo est sermo de rustico operante per longum tempus bene moraliter: in quo debet præsupponi aliquod auxilium gratiæ, necnon aliqua cognitio supernaturalis, vt satis se explicat Angelic. Præc. 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. his verbis: *De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat: aliquando eius operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus placere potest. Habebat autem fidem implicitam, non manifestata evangelij veritate. Unde ut eum in fide plenius instrueret, missus est ad eum Petrus. Idem docet D. August. cap. 7. de Prædest. Sanct. & Prosper ad Rufinum. Ad secundum testimonium satis constat ex dictis supra. 62.*

134 Arguitur quartò, contra eandem assertionem. Nam id Deo concedendum est, quod magis decet eius liberalitatem, & misericordiam; sed dari legem seu pactum conferendi auxilia gratiæ ei, qui facit totum quod est in se, magis decet eius misericordiam, & liberalitatem: ergo datur huiusmodi legem conferendi primum auxilium gratiæ disponenti se solis virtutibus naturæ. Minor probatur: tum quia valde congruum est, vt operanti secundum totam suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis, vt inquit D. Thom. in 4. quæst. 114. art. 3. Tum etiam: quia æquum est, vt Deus manifestet suam liberalitatem, & misericordiam magis cum eo, qui studiosus est in operando bene moraliter, & vitando peccata, quam ei qui quotidie eum offendit. Irrationabile namque videtur, quod Deus

æquo modo se habeat cum studioso, ac cum otioso. Adde: Nam si Deus misericorditer conferat sua auxilia interdum hominibus pervertis, cur non debeat, quod statuat legem conferendi infallibiliter ei, qui sollicitus est in observandis præceptis naturalibus?

Et confirmatur ex nonnullis inconvenientibus, quæ sequuntur ex nostra sententia. Sequitur enim primò, quod salus nostra non sit in nostra potestate, cum auxilia gratiæ sint omnino indebita nobis adhuc ex aliquo pacto; hoc non potest dici, aliàs causaret hoc desperationem: ergo datur huiusmodi pactum. ¶ Sequitur secundò, quod homo careat absque sua culpa auxilijs, vt si faceret totum quod est in se virtutibus naturæ, ad quod tenetur & non ad amplius: hoc autem est contra Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. vbi ait, nunquam hominem deseri à Dei gratia, nisi prius Deus deserat ab ipso: & etiam contra D. Thom. 3. Contra gent. cap. 159. dicentem: *Deus, quantum est de se, paratus est omnibus auxilium gratiæ dare, sed solum illi homines tali gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant*: ergo idem quod prius.

Hoc est præcipuum fundamentum non solum recentiorum Societatis, sed etiam Mafsi-liensium. Sed quis non videat, quod Apostolus claudit eorum ora ad Rom. 9. illis verbis: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic &c.* Et illis: *Quis te discernit? Et illis: Quid est, quod tunc trahat? & illum non trahat? Super que monet te August. Noli velle diiudicare, si non vis errare. Sed super hæc audiant hæc opposites solutionem Div. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 5. ad 3. vbi sic ait: *Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra iustitiam rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare, cui vult plus, vel minus (dummodò nulli subtrahat debitum) absque præiudicio iustitiæ. Et hoc est, quod dicit Pater familias Matth. 20. Tolle, quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo, facere?**

Et licet his fiat satis argumento, & confirmationi; nihilominus respondetur singillatim ad ea. Ad argument. respondetur negando minorem, si intelligatur de lege infallibilis. Et ad primam eius probationem dicendum est, quod si cur decet divinam liberalitatem, & misericordiam esse magis liberalem, & misericordem cum his, qui operantur bene moraliter, & à peccatis se abinent, quam cum ijs qui quotidie submerguntur in peccatis suis, propter indispositionem positivam ad auxilia gratiæ: in-

ter-

terdum decet ineffabilem Dei sapientiam denegare suæ gratiæ auxilia primis, & conferre secundis: vt sic manifestetur independentia gratiæ ab operibus naturalibus, & conditio illius, & nulli sic operanti præbatur anfusa de efferendi, & gloriandi. Et propterea non decet divinam misericordiam, si conferatur cum alijs Dei attributis, statuere legem adeo infallibilem conferendi auxilia gratiæ omni facienti, quod est in se ex virtutibus suæ naturæ. Et in hoc sensu interpretandus est D. Thom. Per quod constat ad subsequentes probationes.

Ad confirmationem respondetur, nullam sequi ex prædictis inconvenientibus in nostra sententia. Iuxta quam notandum est, quod Deus, eo ipso quod ordinaverit creaturam intellectualem ad finem supernaturalem, omnibus conferat auxilia sufficientia ad salutem. Ex quo sequitur, quod salus nostra fit ex auxilio gratiæ in nostra potestate: quia si primis bene vitamur, statim conferat ampliora auxilia, & tandem gratiam habitualem. Ex quo etiam sequitur, quod gratiam habitualem nulli neget, nisi prius deseratur per peccatum.

§. VI.

Assertio quinta contra nonnullos Thomistas.

135 Dicendum est quintò, nullam adæquatè naturalem esse dispositionem sive proximam, sive remotam ad gratiam habitualem, sive consideretur secundum se, sive cum sacramento. In qua conclusione nullam contritionis naturalis mentionem facimus, vel quia non est possibilis contritio perfecta, quæ fit quoad substantiam naturalem, vt late probant NN. Salm. tract. 24. qui est de penitent. disp. 4. dub. 3. per totum, maxime à num. 106. vel quia supponit dilectionem Dei naturalem super omnia, ad quam omnino requiritur gratia habitualis ex parte actus primi per modum principij expeditis, vt ostendimus num. 54. Attritio vero naturalis est illa, quæ ortum ducit ex motivo aliquo præcisè naturali, puta ex consideratione turpitudinis peccati, aut oppositionis illius cum natura rationali, ibique sistit: & fortè ex consideratione pœnæ eternæ, cuius cognitio haberi potest ex virtutibus naturalibus, vt optimè videntur NN. Complut. abbrev. in lib. de Anim. disp. 15. quæst. 2. Et de hac tantum attritione procedit assertio. ¶ Sed vt cum maiori claritate procedamus, Nota, inter alias divisiones attritionis celeberrimè esse eam, qua dividitur in attritionem absolutam & efficacem, quæ importat propositum, & voluntatem vniuersalem non peccandi, & dolorem de omnibus peccatis cum spe veniæ, cuius meminit sacros. Trident. synodus sess. 14. cap. 4. & in attritio-

nem, quæ vel non importat propositum efficacè non peccandi, vel huiusmodi propositum non se extendit ad omnia peccata, sed præcisè ad hoc, vel illud propter eius determinatam turpitudinem. Et de hac, vel alijs similibus intelligenda est conclusio: nam prior illa, vel est entitative supernaturalis, vt late suadet prædicti PP. Salm. loco proximè relato: vel nequit fieri ab homine lapsò & in peccato existente, nisi adiuvetur aliquo auxilio gratiæ, sicut nec propositum efficacè operandi bene moraliter in omnibus. Et quod attritio naturalis considerata secundum se, seu extra sacramentum non sit dispositio proxima, aut remota ad gratiam habitualem est adeo nota, vt oppositum dicendi modus non discedat ab errore Pelagij, & Mafsiensium: Unde solum restat considerare eam in sacramento.

Probat igitur conclusio quoad hanc partem. Primò ex decreto SS. D. nostri Innocentij XI. vbi inter 65. propositiones ab ipso proscriptas damnat quinquagesimam septimam, quæ est huiusmodi: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam*; sed hæc determinatio Pontificis nequit saltem non intelligi de attritione naturali, prout conducit ad fructum sacramenti (quidquid sit de ea, prout conducit ad valorem illius) ergo attritio merè naturalis non conducit adhuc cum sacramento ad gratiam habitualem.

Et confirmatur ex Concil. Trident. tum sess. 6. can. 3. vbi ita definit: *Siquis dixerit, si ne præveniente Spiritus-sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, vt ei iustifications gratia conferatur, anathema sit.* Tum sess. 14. cap. 4. vbi de attritione, quæ requiritur saltem ad fructum sacramenti, hæc habet verba: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenne, & penarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus-sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quomodo sine sacramento penitentia per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento penitentia impetrandam disponit.*

Ex quibus formatur ratio probativa huius assertionis: Nam iuxta præsentem providentiam sola illa attritio disponit cum sacramento ad iustificationis gratiam, quæ est pars sacramenti formati penitentia; sed attritio adæquatè naturalis non est pars sacramenti formati penitentia; ergo nullo modo disponit cum

sacra-

sacramento ad iustificationis gratiam. Maior solum eget explanatione: Etenim cum sacramentum ex se non sit potens ad productionem gratie, elevatur à Christo Domino ad hoc, ut per modum instrumenti illam producat, nec ad hunc effectum elevatur, nisi id quod habet rationem partis ipsius sacramenti. Porro in illa maiori præcinditur pronunc ab eo, quod habeat rationem partis ipsius sacramenti secundum se, sed tantum est sermo de eo, quod est pars sacramenti formati: Et in hoc sensu maior est evidens, sicut evidens est, quod disponit ad valorem sacramenti sola ea attritio, quæ est pars sacramenti penitentiae secundum se:

Minor verò, in qua est difficultas, probatur: Nam ea attritio est pars sacramenti formati penitentiae, quæ instituta est à Christo Domino pro suo beneplacito independenter ab hominum, immò & Ecclesie arbitrio seu iudicio; sed attritio adæquate naturalis non determinata fuit à Christo Domino, ut esset pars sacramenti formati penitentiae: ergo non est pars sacramenti formati penitentiae. Minor probatur: nam voluntas Christi circa partes huius sacramenti, & aliorum non alibi innotescit melius, quam in Concilijs specialiter à Spiritu sancto ductis, & directis ad decernendum, quid fugiendum, quid verò tenendum in rebus fidei, & ad sacramenta pertinentibus; sed Concilium Trid. non agnoscit pro materia, seu parte sacramenti formati penitentiae attritionem merè naturalem, sed eam, quæ est donum Dei, & prout est ex influxu speciali Spiritus Sancti, nondum inhabitantis, sed moventis & impellentis: ergo attritio naturalis non est determinata à Christo Domino, ut esset pars sacramenti formati penitentiae.

Confirmatur primò: Christus Dominus illam attritionem pro materia, & parte huius sacramenti fructuosam instituit, quæ quovis tempore fuit ex se dispositio proxima, vel remota ad iustificationem; sed nulla attritio naturalis ex se est dispositio proxima, aut remota ad iustificationem: ergo nec in sacramento est pars, aut dispositio proxima ad fructum illius. Minor est de fide, & definita à Concilio Trid. sess. 6. can. 3. supra relato. Maior verò, in qua tantum poterat esse difficultas, factis colligitur ex intentione Concilij prædicta sess. 14. cap. 4. vbi ait: *Fuit autem quo vis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius* (loquitur de contritione, aut attritione supernaturali, ut factis se explicat paulò inferius, & nos supra retulimus) *& in homine post baptismum lapsò ita demum preparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divine misericordie, & voto prestandi reliqua, continentis sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.* Et, ut inquit paulò inferius, attritio il-

la, quæ est donum Spiritus sancti, & per se non factis adæquate ad iustificationem in sacramento penitentiae ad impetrandam Dei gratiam disponit. Ergo Christus Dominus solam illam attritionem determinavit pro materia huius sacramenti fructuosam, quæ ex se est dispositio remota ad gratiam, qualis est supernaturalis.

Confirmatur secundò: Nam ad recipiendum fructum aliorum sacramentorum requiritur aliqua dispositio supernaturalis, ut supponimus: ergo etiam ad recipiendum fructum sacramenti penitentiae. Cum hoc tamen discrimine, quòd prædicta dispositio in alijs sacramentis gerit præcisè munus dispositionis, in sacramento verò penitentiae habet munus dispositionis, simul, & partis, ut aperte docet D. Thom. 3. part. quest. 84. art. 1. vbi in solut. ad prim. continentur hæc duæ propositiones. Prima est: *Si qui actus humani sunt in talibus sacramentis* (nempe in omnibus præter sacramentum penitentiae, & matrimonij) *non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositivè se habent ad sacramenta.* Secunda est: *In illis autem sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materia.* Et ut distinguitur sacramentum penitentiae à sacramento matrimonij quoad hoc, quòd licet actus humani sint materia in utroque, id verò, quod est simul dispositio, & pars sacramenti penitentiae, est quid supernaturalis, ita ad 2. ait: *In sacramento autem penitentiae sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna.* Per quod distinguitur à sacramento matrimonij, ad cuius fructum sunt necessarij actus supernaturalis tantum per modum dispositionis, secus verò per modum partis. Sentit ergo, quòd attritio naturalis non sufficit saltem ad fructum sacramenti penitentiae. An verò sufficiat ad valorem illius non est præsentis instituti determinare. Videantur NN. Salm. tract. supra relato disp. 1. à num. 158. vbi partem negativam tuerunt.

136 Sed inquires: An attritio naturalis, aliquo modo supernaturalizata intrinsicè, sic sufficiens dispositio ad fructuosum sacramentum penitentiae? ¶ Attritionem naturalem supernaturalizata appellamus, quæ ex obiecto est naturalis; ordinatur tamen ex intentione agentis ad aliquid supernaturale: quo pacto in homine iusto omnes actus naturales boni moraliter evadunt quoad modum intrinsicè supernaturalis ex imperio universalis charitatis. Et in hoc sensu responderetur interrogationi cum NN. Salmant. tract. supra relato disp. 1. num. 156. & disp. 7. num. 21. plures alios referentibus, in homine iusto sufficere attritionem naturalem ad hoc, ut sit pars, & dispositio sufficiens ad fructum sacramenti. Et ratio est: quia prædicta

æta attritio in homine iusto est dispositio proxima ad argumentum gratie, ut supponimus; consequenterque quoad modum intrinsicè participatum à charitate procedit ex motione Spiritus sancti iam inhabitantis, redditur etiam efficax ratione prædicti modi, ut ex se liquet; sed hæc sufficiunt, ut dolor sit pars, & dispositio ad fructuosum sacramentum penitentiae: ergo attritio naturalis in homine iusto, ut coniuncta eum sacramento proximè conducit non solum ad valorem, estque vera pars illius, sed etiam ad fructum. Quocirca D. Thomas quest. 28. de Veritat. art. 8. inquit: *Omnis dolor de peccato in habente gratiam est contritio.* Nec hæc resolutio comprehenditur sub damnatione supra relata Innocentij XI. quia debet intelligi de attritione adæquate naturali, qualis est ea, quæ nec quoad modum procedit ex motione Spiritus sancti.

Si rursus inquires: an idem dicendum sit de attritione naturali item supernaturalizata in peccatore? Respondendum est cum distinctione: videlicet, quod sufficit ad valorem sacramenti, & ad hoc ut sit pars illius; non tamen sufficit ad fructum. Hæc resolutio quoad hanc ultimam partem, licet non inveniat expressa in NN. Salmant. colligitur tamen evidenter ex eorum doctrina: Nam ad fructum sacramenti penitentiae requiritur, quòd attritio sit efficax; sed attritio naturalis quoad substantiam nequit esse efficax, nec potest reddi efficax in peccatore ratione modi, per quem potest supernaturalizari: ergo in peccatore non sufficit ad sacramentum fructuosum. Minor quoad primam partem traditur à NN. Salmant. tract. de Penit. disp. 4. à num. 63. quæ pronunc supponitur, quia pertinet ad alium tractatum. Quoad secundam verò partem probatur: quia modus, per quem potest supernaturalizari, relinquit actum cum ea efficacia, aut inefficacia, quam ex se habet: ergo in peccatore nequit efficax reddi per modum supernaturalis. ¶ Et si opponas, attritionem naturalem inefficacem in iusto per modum supernaturalis reddi efficacem, ut supra diximus. Dicendum est, quòd non redditur efficax formaliter, sed tantum æquivalenter.

Eadem resolutio quoad secundam partem, nempe quòd attritio in peccatore, si est intrinsicè supernaturalizata per aliquem modum, sufficit ad hoc, quòd sit pars sacramenti penitentiae, seu ad valorem illius, est non sit efficax, traditur ab eisdem PP. Salmant. tract. 12. disp. 7. à num. 23. ex innumerabili Authorum turba, quos referunt; ostenduntque ab authoritate Concilij Trident. & D. Thomæ, necnon à ratione. Quorum expositionem differimus ad tractatum de Penitentia tanquam ad proprium locum.

Et si tandem, quætas, quo modo attritio

naturalis evadat quoad modum supernaturalis? Respondendum est, quòd in homine iusto aliquid specialis intentione operantis oritur supernaturalis, sicut cæteri actus boni moraliter. In homine autem peccatore adhuc fideli necessaria est aliqua intentio formalis ex parte elicientis eam: siquidem nulla virtus adhuc supernaturalis præter charitatem habet ex se, & independenter ab alia quacumque directione formali ordinare ad suum obiectum, seu ad aliquem finem supernaturalem actus honestos. At sicut in homine peccatore potest actus naturalis temperantiae ordinari ad aliquod obiectum supernaturale ex formali intentione operantis, videlicet ex intentione satisfaciendi pro peccatis; pariter ex eadem, aut simili intentione potest attritio naturalis ordinari ad obiectum supernaturale. Itaque non sufficit, quòd homo alias habeat fidem, aut spem, sicut sufficit, quòd habeat charitatem, ut oriatur intrinsicè supernaturalizata. Et propterea attritio naturalis peccatoris fidelis, sublata prædicta directione formali, merito comprehenditur sub damnatione Pontificis. A cuius censura Nunus & NN. Salmant. loco relato num. 147. vindicant Magistrus Canum, & Sotum: quasi nimis arduum, & difficile creditur videatur, viros tam illustres, qui Tridentino adlitterunt, in re adeo perspicua à communi sensu Theologorum recessisse.

§. VII.

Argumenta contra hanc ultimam resolutionem.

137 **A**rguitur primò: Nam inter materiam, & formam sacramentorum debet dari proportio; sed absolutio, quæ est forma sacramenti penitentiae, potest esse naturalis adæquate, & hæc conducit ad valorem, & fructum illius: ergo etiam attritio, quæ est eius materia. Minor quoad utramque partem videtur certa: nam quid vetat, ut absolutio impendatur ex motivo aliquo naturali? Et tunc certocertius est causare gratiam.

Confirmatur. Nam in alijs sacramentis materia proxima est adæquate quid naturale; & tamen conducit non solum ad valorem, sed etiam ad fructum eorum: ergo idem dicendum est de materia proxima sacramenti penitentiae.

Ad argument. responderetur posse retorqueri contra argumentum. Siquidem absolutio naturalis, etiamsi impendatur ex motivo aliquo vitioso, conducit non solum ad valorem, sed etiam ad fructum sacramenti; & tamen nullus dicit, quòd attritio ex motivo pravo procedens sufficit ad fructum, aut valorem illius: non ergo pro-

proportio inter materiam, & formam huius sacramenti stare debet in eo, quod si vna est naturalis, alia debeat, aut possit esse naturalis. Disparitas fiat in eo, quod ad absolutionem factis est prolatio verborum, ex quibus constat forma huius sacramenti secundum constitutionem Christi, cum potestate absolvendi, & intentione utendi illa potestate, quae non superant ordinem naturalem. At dispositio fiat ex parte penitentis ad sui reconciliationem cum Deo, quae habet simul rationem materiae; & nulla dispositio merè naturalis conducit ad dictam reconciliationem.

Ad confirmationem respondetur, concessio antecedenti; negando consequentiam. Et ratio discriminis est iam tacta: quia materia aliorum sacramentorum, praeter penitentiam, & matrimonium, non consistit in actibus humanis, sed in rebus inanimatis: Quinimò, licet res ita se habeant, non tamen praedicta materia concurret ad fructum, nisi praesupponatur aliqua dispositio supernaturalis. Materia autem sacramenti penitentiae instituta fuit à Christo in actibus humanis, qui ita essent pars illius, ut simul essent dispositio ad fructum. Et cum dispositio merè naturalis non sufficit ad gratiam, propterea debuit institui materia huius sacramenti in dolore supernaturali, vel quoad substantiam, vel quoad modum. Et licet sacramentum matrimonij consistat etiam in actibus humanis; consistit tamen in contractu quodam humano, qui ex voluntate Christi elevatur fuit ad rationem sacramenti. Sed ut hic elevetur defectò ad producendam gratiam, opus est, quod praecedat aliqua dispositio supernaturalis: quae, quia tantum exercet munus dispositionis; & non partis, tantum conducit ad fructum; & sic, ea sublata, adhuc manet validum sacramentum.

138 Sed dices (& erit secundum argument.) Nulla datur repugnantia in eo, quod Deus elevaret attritionem naturalem ad producendum instrumentaliter gratiam, sicut defectò elevat res inanimatas; sed tunc exerceret munus dispositionis, & partis: ergo attritio naturalis potest sufficienter disponere ad gratiam habitualement: ergo etiam defectò disponit.

Respondetur negando hanc ultimam consequentiam. Nam aliud est, quid Deus possit facere, aliud quid defectò fecerit. Cum enim non teneatur absolute se accommodare naturam exigentiam rerum, potuit decernere ex sua maxima liberalitate se daturum gratiam habitualement ei, qui faciat hunc, vel illum actum naturalem moraliter bonum, & consequenter attritionem naturalem: in quo nulla est implicatio. Pariter potuit determinare praedictam attritionem naturalem pro materia sacramenti penitentiae: & tunc habere rationem partis, & dispositionis; sed hoc vltimum munus non haberet ex se, sed

praesè ex ordinatione divina. At in praesenti providentia voluit pro materia hanc attritionem determinare, sed aliam procedentem ex motivo supernaturali, & speciali influxu Spiritus sancti, ut nobis constat ex declaratione Concilij Trid.

139 Arguitur tertio: Nam dolor ille, qui est dispositio saltem remota ad gratiam habitualement, coniunctus cum sacramento est dispositio proxima; sed dolor elicitus viribus solius naturae est dispositio saltem remota ad gratiam habitualement: ergo est dispositio proxima cum sacramento. Minor probatur ex D. Thom. in 2. disp. 5. quaest. 2. art. 1. ubi inquit: *Dicendum, quod ad elicendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc actum preparat, & disponit, sed efficacia conversionis ad meritum non potest esse nisi per gratiam.* Ergo dolor elicitus viribus solius naturae est dispositio saltem remota ad gratiam.

Ad hoc argument. respondetur negando minorem. Et ad eius probationem, quae videtur in testimonio D. Thom. consistit: dicendum est, ut supra num. 121. exposuimus, quod S. Doctor non excludit ibi necessitatem auxilij divino pro conversione, quae est dispositio ad gratiam, sed tantum negabat quandam gratiam habitualement seu permanentem, quam aliqui ponebant à Deo promannatam absque vilo hominum concursu, & appellabant gratiam *gratis datam*, prout distinctam à gratia gratum faciente, ita ut prima esset principium conversionis quoad substantiam, & secunda infuere in ipsam, ut meritoriam. Quam positionem refert S. Doct. & refutat quasi inutilem, seu non necessariam: cum liberum arbitrium per aliud auxilium transiens possit elicere actum conversionis, quo homo disponitur ad gratiam iustificantem, ut perpetuo tradit alijs in locis. *Maximè* Quia est testimonio aliter intellecto non solum colligitur dispositio remota, sed etiam proxima ad gratiam. Unde si negaret necessitatem cuiuscumque auxilij supernaturalis, annumerari posset inter Pelagianos: quod prorsus alienum est à tanto Doctore.

140 Arguitur quarto & vltimò: Attritio naturalis, ut supernaturalizata cum aliquo modo supernaturali est dispositio proxima cum sacramento ad gratiam habitualement: ergo etiam ut non elevata per talem modum. Antecedens constat ex dictis num. 136. Et consequentia probatur: nam si attritio naturalis ut elevata per modum supernaturalem est dispositio proxima cum sacramento ad gratiam habitualement, non requiritur, quod dispositio vltima quoad substantiam sit supernaturalis; sed eo ipso nec petit quod sit supernaturalis quoad modum. Minor probatur: nam actus quoad substantiam naturalis, etsi supernaturalis quoad modum,

non

non est dispositio extra sacramentum ad gratiam habitualement; & tamen intra sacramentum est dispositio proxima: ergo idem potest dici de attritione adequatè naturali. Consequentia videtur legitima: nam propterea negavimus, attritionem hanc esse sufficientem dispositionem intra sacramentum, quia nullo modo est dispositio extra illud: si ergo difficultas hac vincitur in attritione ipsa ut elevata per modum, etiam vinci debet in ipsa considerata secundum suam substantiam. Maior vero, in qua est tota vis huius argumentationis, suadet: Nam dispositio non solum vltima, sed etiam remota, ad aliquam formam debet esse secundum suam entitatem eiusdem ordinis cum ea, ut inductivè potest offendi; ergo cum attritio naturalis non sit secundum entitatem in eodem ordine cum gratia, planè sequitur, quod, adhuc elevata per modum supernaturalem, non sit dispositio ad gratiam habitualement.

Ad hoc argument. respondetur, quod aliter loquendum est de dispositione remota ad gratiam habitualement extra sacramentum, ac de dispositione proxima; & aliter de illis intra sacramentum, ac extra illud. Et ut à primo discrimine incipiamus, verum quidem est, quod dispositio vltima ad gratiam extra sacramentum debet esse non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam supernaturalem: & hoc est, quod ex inductione potest ostendi. Sed non potest negari, quod actus naturalis moraliter bonus, si elevetur per aliquem modum supernaturalem, conducit remotè ad gratiam sanctificantem. Cuius signum est, quod praedicta elevatio regulariter nequit fieri, nisi praecedant aliqui actus entitativè supernaturales per modum regulantis, & ordinantis attritionem naturalem ad obiectum dispositione naturalem, à quorum ordinatione accipit modum illum supernaturalem: ut liquet in actu naturali temperantiae ordinato à penitentia supernaturali ad suum proprium obiectum. Similiter intra sacramentum dispositio proxima conducit ad sacramentum tam validum, quam fructuosum. Sed dispositio remota consilens in attritione naturali supernaturalizata solum potest ad summum in peccatore conducere ad valorem, & non ad fructum.

DUBIUM VIII.

Utrum iustus indigeat ulteriori auxilio speciali gratiae ad perseverandum?

141 Hoc dubium excitat D. Thom. ex professo in praef. art. 10. & cum eo omnes eius Expositores. Ubi notat, quod perseverantia potest accipi tripliciter: primo pro habitu mentis firmante animum contra intrinsecas tristitias. Secundo pro habitu, quo

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

homo proponit perseverare in bono vsque in finem. Tertio pro actuali seu exercita perseverantia in bono vsque ad finem vitae. Et de hac vltima intelligendum est titulus dubij: quia certum omnino est iuxta doctrinam Div. Thom. 2. 2. quaest. 137. & 1. 2. quaest. 58. art. 3. ad 3. quod habitus perseverantiae infunditur simul cum gratia omnibus iustis. Porro perseverantia actualis potest sumi dupliciter: vel pro continuatione in gratia per longum, aut breve tempus, praescindendo ab eo, quod continuo protendatur vsque ad mortem inclusive: vel pro continuatione in ea vsque ad mortem, quae à Theologis solet appellari *perseverantia finalis*. De perseverantia primo modo accepta iam egimus dub. 4. per totum. Ex quibus praecipue recolenda sunt, quae diximus num. 90. & 91. ubi ostendimus, hominem adhuc iustum indigere specialibus auxilijs ad implenda collectiva omnia praecipue naturalia, & supernaturalia: quod est idem, ac ad diu perseverandum in bono. Ideo meditatio non agimus in hac disp. de gratia requisita ad diu perseverandum in bono, vel ad diu non peccandum, quia hoc dubium est accessorium dubio relato, & nihil speciale difficultatis praefert, ut cuilibet consideranti constabit. Unde solum restat nobis hic agendum cum Div. Thom. de perseverantia finali, cui nomen propriissimum *perseverantiae* tribuit D. August. lib. de *Dono persever.* cap. 1.

Sed quia potest contingere, quod in alijs inter receptionem gratiae, & mortem intercedat brevissimum intervallum temporis, in alijs diuturnum, & denique carentia vsus rationis, ut in pueris baptizatis, & ex hac vita decessentibus, antequam possint propria voluntate peccare, aut mereri; merito dubitari potest, an in his omnibus perseverantia finalis sit gratia specialis distincta à gratia habituali, & virtutibus ei annexis, & auxilijs communibus ei debitis.

142 Pro quo supponendum primò, omnes, qui sunt in gratia, habere quiddam est necessarium, ut possint perseverare vsque in finem per auxilia, vel recepta, vel oblata, quae media impetratione consequi valent. Ita Trid. sess. 6. can. 22. Et probatur: nam quilibet iustus potest tam physice, quam moraliter legem implere, vitare peccatum, & vincere tentationes per auxilia Dei collata, seu oblata, ut definit Concil. Araus. 2. can. vltimo his verbis: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, si fideliter laborare voluerint, adimplere; alias non perseverare finaliter non imputaretur eis: ergo habent posse saltem per gratiam oblata ad perseverandum finaliter. Cum quo rectè cohaeret, quod non omnes habent auxilium, quo actu, &*

Ej

142

infallibiliter perseverent. Cuius nulla alia radix assignari debet, quam voluntas Dei, & inscrutabilia eius iudicia, iuxta illud Magn. Parent. August. loco citato cap. 9. *Ex duobus autem pijs, cur hic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei.*

Nec oppositum docet Div. Thom. quaest. 24. de Verit. art. 13. ubi tam in corp. quam ad 3. inquit, quod perseverantia non est in potestate habentis gratiam. Nam sensus illius est, quod iustus non habet in sua potestate donum ipsum, quo deficiente perseveret: quod est idem, ac dicere, quod non habet potentiam consequentem ad perseverandum: quod verissimum est; sicut & verissimum est, quod auxilium efficax non est in potestate hominis.

143 Supponendum est secundò, actualem perseverantiam vsque in finem importare aliquid distinctum à gratia sanctificante, & virtutibus ei annexis. Ita communiter Theologi cum Div. Thom. in praef. Et probatur primò: nam multis datur gratia, quibus non datur perseverantia, ut demonibus, Iudæ, & alijs. ¶ Secundò: Quia iustus petit à Deo perseverantiam in oratione dominica, cum dicimus *adveniat regnum tuum*, iuxta Div. Thom. 3. Contra gent. cap. 155. Quinimò iubetur illam petere, iuxta Concil. Araus. 2. can. 10. ubi diffinit: *Adiutorium Dei etiam, renatis, & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere permanere; sed frustra petitur, quod iam possidetur, ut perpetuò docent Hieronym. & August. ergo actualis perseverantia vsque ad finem dicit aliquid distinctum à gratia habituali.*

Hæc autem perseverantia, iuxta sensum communem Theologorum, consistit formaliter in coniunctione gratiæ cum morte ex efficaci intentione Dei prædestinantis, & dantis gloriam. Ita apertissimè colligitur ex D. August. lib. de *Dono perseverant.* cap. 1. ubi huic coniunctioni gratiæ cum morte attribuit proprium nomen *perseverantiae*, ut supra retulimus. Unde, de ea formaliter sumpta loquendo, est eiusdem rationis in omnibus prædestinatis; licet materialiter sit diversa iuxta capacitatem eorum. Nam cum perseverantia consistat pro formali in coniunctione horum extremorum, videlicet gratiæ, & mortis, ex parte primi extremi potest dari nonnulla varietas materialis, itaut in parvulis solum requiratur gratia ipsa habitualis cum ea providentia, quod mors accidat, antequam possint peccare: in alijs verò importet præter gratiam habitualement collationem omnium eorum auxiliorum, quæ necessaria sunt ad bene operandum vsque ad mortem, quo medio conservatur gratia in illo instanti mortis ex speciali illa providentia tunc adveniens.

Ex quo colligitur primò, perseverantiam,

de qua nunc est sermo, esse distinctam ab ea, quæ requiritur ad diu perseverandum in bono. Siquidem multis datur hæc perseverantia finalis, quibus non conceditur ad diu permanendum in bono: ut liquet in his, qui statim post iustificacionem decedunt à vita. Et e converso multis conceditur auxilium ad diu permanendum in bono, & negatur perseverantia finalis, ut constat in Iuda. Pro quo refert D. Aug. in lib. contra Iulianum *sub finem*, quendam virum vsque ad sexagesimum annum vixisse continenter; & postea cum quadam muliere impudica vsque ad finem turpiter egisse. Maximè, quia perseverantia finalis est potissimum, & specialis effectus prædestinationis; secus verò diu permanere in bono, ut liquet in exemplis relatis.

Colligitur secundò, perseverantiam finalem, secundum totum quod dicit, non esse in nostro libero arbitrio: quia non est in eius facultate efficax electio ad gloriam, ex cuius intentione fit coniunctio gratiæ cum morte: nec mortis eventum cum suppositione gratiæ existentis. Licet Deus paratus sit omnibus dare, ut supra diximus. His necessariò præmissis, & suppositis:

Circa præsentem controversiam (relicto errore Pelagij) asserentis posse hominem ex viribus naturæ perseverare vsque in finem (in gratia) tres versantur sententiae. Prima asserit, quod licet requiratur speciale donum ad perseverandum finaliter, quando quis per longum tempus vsque ad mortem in gratia perseverat, & secus verò quando contingit post acceptam gratiam statim, vel brevi tempore mori. Ita Vega in Trident. lib. 12. cap. 22. circa finem, & quidam Doct. sorbonicus nomine *Andreas Duvalius*. ¶ Secunda defendit, esse necessariam specialem gratiam in statu naturæ lapsæ ad perseverandum finaliter, secus verò in statu innocentie. Ita Janenius, quem sequitur Molina in Concord. quaest. 14. art. 13. disp. 4. Quibus multum favet Suarez lib. 10. de *Gratiâ* cap. 9. ¶ Tertia, & vltima docet, esse necessariam gratiam specialem ad omnem perseverantiam finalem, sive in statu naturæ corruptæ, sive in statu innocentie. Ita communiter Theologi, quos supervacaneum est recensere. Cum quibus, & NN. Salmant. in præsent. disput. 3. dub. 11. sit.

§. I.

Sententia communis duplici assertione explicata.

144 **D**icendum est primò, perseverantiam finalem in gratia vsque ad mortem esse gratiam specialem respectu hominis iustificati, sive decedat ante usum ratio-

tionis, sive sit adultus, & hic sive per breve tempus, sive per longum perseveret in gratia. Et probatur primò ab autoritate. Tum quia Concil. Araus. 2. cap. 10. inquit: *Adiutorium Dei etiam renatis, & sanctis est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere perdurare.* Ergo in omnibus iustus ut iustus est speciale donum Dei perseverare vsque ad mortem. ¶ Tum etiam. Nam Concil. Trident. sess. 6. can. 22. diffinit: *Siquis dixerit, iustificatum sine speciali Dei auxilio perseverare posse, anathema sit.* Quod autem Concil. per *speciale auxilium* intelligat aliquod auxilium supra communia connaturaliter debita iustus, constat ex cap. 13. ex quo prædictus canon formatus est: ubi docet, hoc perseverantia donum aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseverantiam stet. Ergo iuxta Trident. perseverantia est speciale donum iustificato ut tali indebitum. Quia ratione forte idem Concil. can. 16. appellat illud *magnum* perseverantia donum. ¶ Tum denique ex Div. August. Nam perseverantia gratiam non reducit ad diuturnitatem temporis, sed vnicè ad coniunctionem gratiæ cum morte, ut potest videri lib. 1. de *Bono persever.* cap. 1. Item cap. 17. revocat perseverantiam ad donum Dei speciale in parvulis illis verbis: *Sed mirabilior, & fidelibus evidenter largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius atatis, ut detur, datur hæc gratia.* Ergo iuxta mentem Augustini perseverantia donum est donum gratiæ speciale, cuiuscumque conceditur.

Probatur secundò ratione: Nam id habet rationem gratiæ specialis respectu hominis iusti ut iusti, quod est supra exigentiam, & dispositionem illius adhuc ut iusti; sed donum perseverantia est supra exigentiam, & dispositionem hominis iusti ut iusti: ergo est donum speciale respectu illius. Maior est certa. Et minor probatur: nam donum firmans in bono subiectum ex se veribile de bono in malum est supra exigentiam, & dispositionem illius; sed liberum arbitrium creaturæ rationalis adhuc sanctificatum per gratiam huius vitæ est ex se veribile de bono in malum, & donum perseverantia firmat illud in bono: ergo est supra exigentiam, & dispositionem hominis iusti ut iusti. Maior videtur certa: nam lumine naturali notum est, quod subiectum ex se variabile non exigit firmitatem in bono. Et minor quoad primam partem ipsa experientia comprobatur: Siquidem plures iusti non perseverant in bono, sed in plura peccata prolabantur, & amittunt statum iustitiæ, nec iuxta providentiam ordinariam exigunt conferri aliter eis auxilia efficacia. Quoad secundam etiam patet: tum ex ipsa etymologia prædicti doni. Tum ex ipsa experientia.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

tia: quia nullus, cui prædictum donum conceditur, recedit à bono, aut amittit gratiam sanctificantem. Quam rationem desumptimus ex D. Thom. lib. 3. Contra gent. cap. 155. & 2. 2. quaest. 137. art. 4.

145 Respondetis, omnibus iustis dari auxilia sufficientia cum gratia, quibus possint perseverare in ea vsque ad mortem: quosdam tamen ut illis bene, & propterea perseverant; & quosdam male: ideoque non perseverant. Unde perseverare non est supra exigentiam, & dispositionem hominis iusti. Adde: Quia non est assignabile, quid sit illud, per quod homo immobilizatur in bono cum nihil aliud detur præter gratiam sanctificantem, quæ in omnibus parvulis, & in omnibus adultis est eiusdem rationis; & auxilia efficacia, quæ in homine vitæ relinquunt eandem veritatem intrinsecam in perseverantibus, & non perseverantibus. Recurrere autem ad ipsum instans mortis, non est ad rem: quia non est nobis sermo perseverantia alterius vitæ, qui connaturaliter convenit perseverare in eo statu, in quo quis decedit.

Hæc evasio, si rectè pendatur, sapit errorem Pelagij, qui ea ductus delirabat, & docebat, præter auxilia sufficientia nihil aliud requiri ad actu perseverandum. Quod impugnatur ex pluribus inconvenientibus inde sequitur. Sequitur enim primò, quod quis perseveraret, se à non perseverante discerneret, possetque de sua perseverantia actuali adversus non perseverantem inflari; & gloriari; hoc autem catholice non potest admitti, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Ergo, quidquid sit de potestate ad perseverandum cum auxilijs sufficientibus, actu perseverare est speciale donum Dei. ¶ Sequitur secundò, quod si ad perseverandum nihil aliud requiritur præter auxilia sufficientia, Deo non tribueretur nisi *posse perseverare*, secus verò *ipsum perseverare*; hoc est contra Concil. ubi supra: ergo, ¶ Sequitur tertio, quod iustus non debeat orare, ut inquit August. epist. 107. aliisque in locis, & D. Hieronym. epist. ad Ctesiphontem; quod vitæ non est admittendum, ut vidimus supra ex Concil. Arausic. & Trident. ¶ Sequitur quarto, quod prædestinationis innitatur medio fallibili, videlicet causæ fallibili, seu defectibili, qualis est liberum arbitrium ornatum cum auxilijs sufficientibus.

Additamentum facile dispellitur: si dicatur, quod licet gratia habitualis quoad suam prædicatam intrinsecam sit in omnibus parvulis eiusdem rationis, auxiliæque efficacia in adultis nullam præsentem immobilitatem se tenentem ex parte actus primi; in omnibus tamen perseverantibus, tam gratia, quam auxilia efficacia

Et 2

præ:

præstant immobilitatem intrinsecam se tenentem ex parte actus secundi, in quantum descendunt ex intentione efficaci Dei coniungentis ipsum perseverare actuali huius vite cum morte tantum cum termino: & hæc immobilitas actualis nulli iusto est debita, attentis prædicatis communibus iustificationis, etque speciale donum Dei discernens perseverantem a non perseverante.

146 Probatum tertio hæc prima assertio: Nam omne id, quod est effectus immediatus, & convertibilis prædestinationis, est speciale donum supra debitum gratiæ habitualis, eiusque communis providentiæ; sed perseverantia finalis est effectus immediatus, & convertibilis prædestinationis: ergo est speciale donum Dei supra debitum, & exigentiam gratiæ habitualis, eiusque communis providentiæ. Maior videtur certa: siquidem sicut providentiæ specialis est speciale beneficium Dei, ita omne id, quod est quomodocumque effectus illius, maxime effectus eius elicitus, seu immediatus & convertibilis, debet esse donum speciale; & non potest negari, quod prædestinatio sit providentiæ specialis supra providentiam communem gratiæ habitualis, cum ex vi huius providentiæ pluribus conferatur gratia habitualis, & negatur beneficium prædestinationis. Minor verò probatur: nam bene valet: *Est quis prædestinatus: ergo finaliter perseverat.* Item: *finaliter perseverat: ergo est prædestinatus.* E converso: *non est prædestinatus: ergo finaliter non perseverat.* Item: *non finaliter perseverat: ergo non est prædestinatus.*

147 Dicendum est secundò, quod homo in statu innocentie indigebat præter prædicata constitutiva illius status, & auxilia illi debita alio auxilio speciali ad perseverandum infallibiliter usque ad mortem, ac proinde perseverantia finalis in gratia fuisse illi specialis gratia. Hæc resolutio est valde consona Concil. Araus. 2. can. 19. ubi ait: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret.* Colligiturque aperte ex D. Augusti. qui lib. de *Corrèct. & gratia* cap. 11. ait, quod Adamus recepit auxilium, quo posset perseverare, scens verò auxilium quo perseveraret; sed hoc auxilium non est illud, quo actu non peccaret, cum illo indigeret homo in illo statu: ergo esset aliud speciale ad perseverandum in eo independentem à peccato. Eique suffragatur D. Thom. in hoc art. 10. ad 3. ubi docet, quod *homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset; non autem accepit, ut perseveraret.* Idem docet quest. 27. de *Verit.* art. 5. ad 3. dicens, quod tunc homo ad perseverandum indigebat *divina providentiâ, cum dirigente, & adiuvante.*

Et probatur ratione, prætermisissis ijs bre-

vitatibus gratia, quas dedimus pro prima assertione, licet comprehendant statum innocentie: Nam non est maior ratio in homine pro statu innocentie, ad hoc ut perseverantia finalis non superet exigentiam illius status, ac in Angelis bonis, dum erant in statu deliberandi; sed perseverantia finalis fuit in illis gratia specialis, & supra conditionem suæ naturæ ut gratia habitualis affecta: ergo etiam in homine pro statu innocentie. Maior vitò conceditur à Jansenio: Et merito, quia est persè nota. Minor verò probatur: tum ex D. Augusti. in psalm. 32. conc. 2. ubi loquens de Angelis bonis, & eorum perseverantia finali sub figura cælorum, sic ait: *Nec ipsi firmitatem sibi propriam præstiterunt. Verbo Domini celi firmitati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Tum ex D. Greg. lib. 25. Moral. cap. 28. ubi de Angelis hæc ait: *Alijs cadentibus, alios fuisse à Deo solidatos, utique similiter casuros, nisi solidati fuissent.* Ergo iuxta utrumque S. Doctorem dono speciali Dei tribuitur, quod Angeli boni perseverarent.

§. II.

Argumenta contra utramque assertionem.

148 **C**ontra primam assertionem arguitur primò: Nam sæpè contingit, quod ab instanti iustificationis usque ad mortem intercedat brevissimum spatium, & accidere potest, quod in illo tantum occurrat præceptum aliquod facile; sed tunc sufficit ad perseverandum gratia habitualis cum auxilijs communibus ei debitis: ergo non est speciale donum Dei. Minor probatur: nam ad tunc perseverandum finaliter solum est necessarius ille concursus, quo defectò observetur præceptum; sed ab observationem illius sufficit gratia habitualis cum auxilio communi debito gratiæ: ergo etiam ad tunc perseverandum.

Et confirmatur. Nam mors potest esse tunc dispositio ex influxu causarum naturalium; aliàs conservatio gratiæ per breve spatium non est speciale donum Dei: ergo perseverantia in prædicto casu ex nullo capite est gratia specialis.

Ad argument. cum confirmatione respondetur, quod licet collatio gratiæ secundum se, & conservatio illius per breve spatium, nec non observantia præcepti tunc occurrentis non peccant absolute nisi concursum debitum iustificationis; petunt tamen concursum specialem ad hoc ut coniungantur cum morte: quia procedunt, ex intentione efficaci prædestinate. Neque omnia ea ex meritis proprijs habent coniungi cum morte, sed coniunctio illa est specialis effectus providentiæ prædestinatæ, quæ est specialis-

simum beneficium illi, cui in omni eventu applicatur. Nec refert, quod mors quasi elicitivè proveniat à causis naturalibus: quia provenit imperativè à prædicta providentiâ; & coniunctio gratiæ cum morte elicitivè.

149 Arguitur secundò: Nam iusto debita est perseverantia finalis: ergo non est gratia specialis respectu illius. Antecedens probatur: nam gratia habitualis tribuit ius ad gloriam; sed hæc ad sui adeptionem exposcit perseverantiam finalem: ergo hæc est debita iusto ut iusto. Tum etiam: nam cuilibet habenti aliquem habitum debitum est concursus ad propriam operationem; sed in quolibet iusto datur habitus perseverantiæ cuius operatio est perseverare, ut docet D. Thom. in hac 1. 2. quest. 58. art. 3. ad 3. ergo idem quod prius.

Ad hoc argument. respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod gratia habitualis tantum tribuit ius ad gloriam iuxta propriam illius conditionem; ipsa autem secundum se non immobiliter subiectum in bono: ideoque nec tribuit immobiliter prædictum ius, sed ad hoc necessarium est donum perseverantiæ, à quo provenit ius immobile ad gloriam, sicut & immobilitas ipsius gratiæ. Ad secundam: Respondetur, quod actus proprijs prædicti habitus non est actu perseverare, sed propositum perseverandi: & multoties ad eliciendum propositum non est necessaria gratia specialis, quæ ad eius executionem omnino necessaria est, ut tradit D. Thom. 2. 2. quest. 137. art. 4. de ipsa actuali perseverantia, & proposito ad illam: Nec deest exemplum satis accommodatum: nam homo in puris naturalibus potest elicere propositum efficaciter observandi collectivè omnia præcepta, cuius tamen executio est impossibilis ex viribus naturæ.

150 Adversus secundam assertionem arguitur primò ex D. Augusti. lib. de *Corrèct. & gratia* cap. 11. in med. ubi docet, quod *primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium.* Quibus verbis intendit statueri aliquam differentiam inter hominem lapsum, & hominem in statu innocentie, quod ille, quia carebat corruptione naturæ, qua non caret homo lapsus, nullam difficultatem ad perseverandum habebat, quæ inest homini lapsò propter prædictam corruptionem, & rebellionem appetitus, ut explicat Div. Thom. sum. Magist. 2. 2. quest. 137. art. 4. ad 2. Ergo ex mente utriusque Doctoris Adam non egebat speciali auxilio ad perseverandum.

Ad hoc argument. respondetur, ex eo tantum inferri, quod homo lapsus maiorem difficultatem sentiat ad perseverandum, quam Adamus in statu innocentie: quod verissimum est propter rationem insinuatam in argumento. Et

hæc est differentia intenta ab utroque S. Doctore. Cumque rectè cohereret, quod Adamus absolute posset peccare & quod eius liberum arbitrium vertibile esset de bono in malum: & consequenter, quod indigeret speciali auxilio ad perseverandum in bono. Et propterea uterque S. Doct. docet, quod non datum est ei; ut perseveraret.

151 Arguitur secundò, (& erit replica contra solutionem datam.) Nam donum perseverantiæ erat debitum homini in statu innocentie: ergo non esset specialis gratia respectu illius status. Antecedens probatur: tum quia forma receptæ in aliquo subiecto, & non impeditur ad suum exercitium ex aliqua indispositione subiecti, debetur ei concursus ad tale exercitium: atqui gratia ex se exigit perseverantiam, & nullum habet impedimentum ad eam homo in statu innocentie, sed est in homine lapsò ob rebellionem appetitus: ergo debitum est ei donum perseverantiæ. Tum etiam: nam debitus est concursus alicui subiecto vagè ad actum, in quo est posse tam physicum, quam morale ad illud; sed in homine in statu innocentie est posse tam physicum, quam morale ad perseverandum, cum sit in illo posse tam physicum, quam morale ad nunquam peccandum, ut supra vidimus in utroque S. Doct. ergo.

Confirmatur. Nam donum perseverantiæ erat debitum alicui Angelo vagè: ergo etiam homini in statu innocentie. Consequentià à paritate constat: siquidem in homine, sicut & in Angelo, non est aliud impedimentum ad perseverandum nisi vertibilitas liberi arbitrij. Antecedens probatur: nam, supposita gratia habituali, debitum est auxilium in vno, vel altero Angelo vagè ad eliciendum actum charitatis plenè deliberatum; sed Angeli per illum immobilitantur in bono, ut supponimus ex dictis tract. de Angel. agentes de eorum naturali inflexibilitate: ergo donum perseverantiæ erat debitum alicui Angelo vagè.

Ad argument. respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quod gratia vite, ad distinctionem gratiæ consummata, ex se est subiecta libero arbitrio: & propterea non potest exigere firmitatem, & perseverantiam, usquedum vel subiectum sit in statu ex se invariabili, vel gratia ipsa addat aliquam perfectionem intrinsecam, ratione cuius plenè subijciat subiectum, ut est gratia consummata. Et licet omnis habitus, qualis est gratia habitualis, sit ex se difficile mobilis, & hæc ratione exigat quandam immobilitatem; ex indispositione tamen subiecti, cui plenè subijciatur, non illam importat, nec exigit: & sic hæc subiectio, & impedimentum naturalis vertibilitatis ex parte subiecti est sufficiens, ut perseverantia non sit debita absolute;

& dum conceditur à Deo, sit speciale donum ipsius Dei.

Ad secundam probationem responderetur, quod licet homo in statu innocentiae habeat *posse* tam physicum, quam morale ad perseverandum, & ad nunquam peccandum, adhuc non est in illo statu subiectum *vagæ*, cui debitus sit concursus ad actualem perseverantiam, nec ad nunquam peccandum. Et ratio est: quia *posse* ad perseverandum est effectus providentiae communis praedestinatis, & non praedestinatis illius status; actualis verò perseverantia, & auxilium ad eam requisitum est effectus homogeneus providentiae praedestinativæ, quæ in omnibus est specialis, & discretiva praedestinativæ à non praedestinativæ, & hac ratione est speciale donum Dei. Illa verò maior solum tenet, quando tam *posse*, quam actus sunt intra eandem providentiam.

Ad confirmationem responderetur, quod siccat homini iusto debitum est auxilium ad eliciendum unicum actum meritorium plene liberum secundum se, fecus verò ad eum eliciendum, in suppositione quòd è vita decederet; ita Angelus non est debitum auxilium ad eliciendum actum supernaturalem dilectionis Dei perfecte deliberatum, quia ad illum sequitur statim beatitudo, vel inflexibilitas omnimoda in bono. Itaque collatio auxilii ad illum actum fuit effectus specialis providentiae praedestinativæ, & specialis gratia indebita gratiae habituali, quam Angelus habuit in primo instanti.

152 Inquires primò: An donum perseverantiae coincidat cum dono confirmationis? Respondetur negativè. Ita colligitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 100. art. 2. ad 1. ubi docet, quòd si Adam mansisset in statu iustitiæ originalis, quidam eius filij habuissent donum perseverantiae, quin essent confirmati in gratia: ergo non sunt idem prædicta dona. Ratio verò est: nam donum perseverantiae est commune omnibus praedestinatis; sed donum confirmationis non est commune omnibus praedestinatis, sed tantum communicatur aliquibus ex illis, v. g. B. Virgini, & Apostolis: ergo distinguuntur. Adde: Quia donum perseverantiae consistit in gratia habituali, & auxilio efficaci ex intentione Dei praedestinantis, & coniungentis ipsam gratiam cum morte, quin addat ex parte potentiae aliquid aliud intrinsecum; sed donum confirmationis addit aliquid intrinsecum modale ex parte gratiae, ratione cuius praestat quandam impotentiam ad peccandum, & exigit auxilia ad non peccandum, sive mortaliter, sive venialiter iuxta maiorem, vel minorem perfectionem prædicti modi, qui est participatio gratiae consummatæ permittens in se quandam latitudinem, iuxta dicta numer. 97. ergo sunt dona inter se distincta.

Inquires secundò: An dono confirmatio-

nis sit debitum donum perseverantiae? Respondetur affirmativè: quia, ut proxime diximus, debita sunt ei auxilia ad nunquam peccandum saltem mortaliter.

153 Inquires tertio: an habilis sit aliquis habitus, qui hominem viotorem redat simpliciter impeccabilem? Affirmat Godoy disp. 48. num. 25. Sed probabilis videtur oppositum. Tum quia nullus est possibilis habitus, qui excludat potentiam ad iudicium indifferens circa bonum, & malum; & hoc praestat potentiam absolutam ad peccandum. Tum etiam: Quia donum illud esset participatio adæquata gratiae consummatæ: ergo non est ei concedendum, quod est proprium illius.

DISPUT. II.

De Gratia habituali.



Uia gratia habitualis est nobilissima species gratiae: idèd postquam D. Thom. quæst. præc. ostendit necessitatem gratiae, statim in hac quæst. 110. agit de essentia gratiae habitualis. Cuius notitia in hac disp. incumbimus, investigantes simul causam illius, quamvis invertamus eius methodum brevitatis titulo.

DUBIUM I.

An gratia habitualis sit aliquid intrinsecum, & creatum: & recipiatur in anima?

Circa primam partem quæsti primus erravit Calvinus, negans lib. 3. Inst. cap. 11. num. ultim. in homine interiore iustitiam, asserensque hominem dici *iustum* per extrinsecam dumtaxat imputationem iustitiæ Dei, & Christi. Cui præter plures Sectarios accessit Albertus Pigijs in lib. de Gratia, & libero arbitrio §. Gratia acceptioem. Erravit etiam Magist. Sent. in 1. dist. 17. per tor. præcipue cap. penult. asserens charitatem non esse aliquid creatum, sed ipsam personam Spiritus sancti substantialiter nobis unitam, ut testatur D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 2. Catholica verò, & communis Scholasticorum sententia est, gratiam, charitatem, & cætera dona, quibus iusti, grati, & accepti sumus apud Deum, esse aliquid creatum, & nobis intrinsecum.

Circa secundam partem quæsti duplex est sententia. Prima asserit, subiectum gratiae immediatum esse voluntatem. Vel quia non agnoscunt ullam distinctionem inter potentias, & animam, ut Gabriel, & Ocham, alijque anti-

qui

qui Nominales. Vel quia licet concedant distinctionem realem, aut ex natura rei inter animam, & potentias; negant tamen omnem distinctionem inter gratiam, & charitatem, ut Scotus in 2. dist. 26. §. Contra istam. Adhuc restat singularis sententia Bonav. ibidem, quæst. 5. qui ex vna parte affirmat gratiam, & charitatem distingui realiter; & ex alia docet utramque recipi immediate in voluntate. Secunda absolute defendit, subiectum immediatum gratiae habitualis esse animam. Ita D. Thom. in hac quæst. 110. art. 4. omnesque eius Discipuli, necnon communiter recentiores Societatis.

§. I.

Resolutio dubij quoad primam partem.

Discendum est primò, gratiam habituales, qua homo dicitur iustus, gratus, & acceptus apud Deum, esse aliquid creatum, & nobis intrinsecum. Hac veritas catholica definita est primò in Concilio Vien. sub Clem. 5. & refertur in dement. de Summa Trinit. & fide Catholica. Et novissimè in Trid. sess. 6. cap. 7. ubi ait, Unicam formalem causam iustificationis hominum esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. Et ibidem can. 11. ubi inquit: Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, que in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inheret; aut gratiam, qua iustificamur, esse solum favorem extrinsecum Dei, anathema sit. Videatur insuper Carechismus Romanus editus iussu Pij V. tract. de Sacram. baptisimi.

Et probatur ratione fundamentali Div. Thom. Nam idem est hominem esse in gratia Dei, ac illum esse à Deo dilectum per amorem supernaturalem, & in ordine ad vitam æternam; sed hominem esse hoc modo à Deo dilectum importat aliquid ipsi homini intrinsecum: ergo gratia Dei ponit in homine aliquid intrinsecum. Maior admittitur ab hæreticis. Et minor probatur: nam omnis amor debet terminari ad aliquam bonitatem: cum hac tamen differentia inter amorem creatum, & divinum (pro qua omnino videnda sunt, quæ diximus tract. 4. disp. 1. num. 36.) quòd amor creatus, vtpotè imperfectus & purè affectivus, supponit suum obiectum, seu in obiecto bonitatem, qua afficitur, & attrahitur; amor verò Dei, vtpotè perfectissimus & purè effectivus, causat suum obiectum, seu bonitatem in obiecto, quòd ratione illius diligit: ideoque D. Thom. 1. part. quæst. 20. art. 2. inquit, quòd amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus: Ergo hominem esse à Deo dilectum per amorem su-

pernaturalem, & in ordine ad vitam æternam importat aliquid intrinsecum in homine.

3 Obijcies primò: Nam homo potest reddi à Deo dilectus, & illi gratus per puram extrinsecam benevolentiam illius: ergo non est necesse, quòd amor divinus erga hominem producat aliquid intrinsecum in anima, quòd gratiam habituales appellamus. Antecedens probatur primò: nam Deus redditur ab homine dilectus, illique gratus per puram extrinsecam benevolentiam illius: ergo idem potest dici de homine relatè ad Deum. Secundò: Deus vult omnes homines salvos fieri: & tamen hic amor quandoque nihil intrinsecum producit, ut liquet in parvulis decedentibus sine baptismo: ergo idem quòd prius. Tertio: Nam praedestinatio includit specialem amorem Dei erga praedestinatos, iuxta illud Malach. 1. Jacob dilexi; & tamen non semper ponit in eis aliquid intrinsecum, cum interdum sint in statu peccati: ergo.

Et confirmatur primò: Nam amor sufficienter potest explicari per ablationem mali, quin conferat aliquid bonum: ergo amor Dei potest salvari erga hominem per hoc præcisè, quòd remittat offensam. Roboratur: Nam homo per suum peccatum tantum offendit Deum quoad affectum, vel secundum probabiliorem nostram sententiam tantum producit moraliter, & intrinsecè offensam; ergo etiam Deus potest remittere offensam vel per amorem purè effectivum, vel per hoc quòd producat aliquid tantum moraliter in homine.

Confirmatur secundò: Odium Dei nihil intrinsecum ponit in homine, quem odit, sed tantum est obiectum extrinsecum displicentiae, ut liquet in pueris existentibus in limbo, quos Deus odit ut author supernaturalis, quin aliquid ponat in illis: ergo etiam Deus potest hominem diligere, quin producat in eo aliquid intrinsecum.

Ad obiectionem responderetur, negando antecedens. Et ad primam eius probationem satis constat ex discrimine infinuato inter amorem creatum, & divinum. Amor enim creatus, vtpotè imperfectus & sterilis, supponit bonitatem in obiecto, maxime in Deo, & propterea Deus redditur homini dilectus tantum extrinsecè. Amor verò divinus, vtpotè perfectus & fecundus, producit bonitatem in rebus: ideoque homo non dicitur dilectus à Deo per extrinsecam tantum denominationem.

Ad secundam probationem responderetur, quòd cum amor ille generalis, quo Deus vult omnes homines salvos fieri, non sit absolutus & simpliciter talis, tantum petit, quòd conferat remedia generalia ad salutem, qualia sunt auxilia sufficientia, & sacramenta, quæ ex vi talis amoris omnibus conferuntur iuxta capacitatem uniuscuiusque. Nec oportet, quòd ex vi illius